THESES.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/b22414022

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM
JUSSU REGIS OPTIMI ET EX MANDATO SUMMI REGIÆ UNIVERSITATIS MAGISTRI INSTITUTA ANNO 1823.

Eademne sporadicis ac popularibus morbis Curatio?

THESES

Quas, Deo favente, in saluberrimâ Facultate Parisiensi, præsentibus competitionis judicibus, publicis disputationibus subjectas tueri conabitur, die mensis januarii, anno 1824.

AMEDÆUS DUPAU,
Medicinæ Doctor, Societati medicæ Londinensi, Hunterianæ, multisque aliis adjunctus.

Sanabiles inter morbos, nullis magis quam popularibus inclarescit medicus: in sporadicorum curatione magni, in epidemicorum Thaumaturgi nomen sibi comparat.

PARISIIS,
EX TYPOGRAPHIA FEUGUERAY,
Viâ vulgò dictâ cloître Saint-Benoît, n° 4.

M DCCC XXIV.

COMPETITIONIS JUDICES :

PRÆSES. . . . . D. ESQUIROL.

JUDICES. . . . . DD. LANDRÉ-BEAUVAIS. BERTIN. CAYOL. FIZEAU. RECAMIER. ROYER-COLLARD.

VICES-GERENTES.. . . . . DD. JADIOUX. ALIN.

COMPETITORES :

DD.

Andral.
Bailly.
Bayle.
Bouillaud.
Champesme.
Cruveilhier.
Delondre.
Destouet.
Dugès.
Dupau.
Gérardin.
Gibert.
Leger (Théodore).
Leger (Victor).
Legras.
Martin-Solon.
Meslié.
Miquel.
Piorry.
Ramon.
Rochoux.
Tuffier.
Velpeau.

EADEMNE SPORADICIS AC POPULARIBUS MORBIS CURATIO?

Εἴ τι θειῦν ἔνεστι εν τῇσι νουσοισι.

ΙΠΠΟΚΡΑΤΕΣ Προγνοστικον.

I.

Proaemium.

Ad privata et communia, ad simplicia et maximè composita pertinere totamque medicinam ferè amplecti hæc quæstio videtur. Sporadicis quidem et popularibus morbis adhibita curatio multis antiquorum scriptis illustrata fuit. Hippocrates primus inter ommes axiomata tàm perfectè statuit, ut pauca à successoribus addita fuerint : popularium morborum doctrinam observationibus et præceptis firmavit, illorumque signa mirabiliter prævisa tradidit. Attamen nonnulli apud recentiores, systèmatum erroribus inservientes, quæ ab antiquis stabilita fuerant diruere voluerunt; epidemicum caracterem omninò rejiciciendum, et morbos sive sporadicos, sive populares ad unam et similem curationem semper reducendos decreverunt. Inter antiquorum et neotericorum opiniones veritatem stare forsàn inveniemus. In universum ab aliis jactata, in angustum ab aliis contracta, quasi manca et debilis incedit epidemorum doctrina. Cùm magni momenti sit hujus problematis solutio, derelictis theoriæ commentationibus, nullo alio duce nisi observatione et experientiâ, omnes quæstionis ambages explorabo, ut hinc et illinc vera et utilia, quòcumque occurrent, eliciam. « Etenim, ut ait sagacissimus Klein, liberam profiteor medicinam, nec ab antiquis sum, nec à novis, utrosque ubi veritatem colunt sequor. »

Problematis solùm præcipuas partes attingam, et quò faciliùs expen-

dantur, dicam : 1°. Definitionem sporadicorum et popularium morborum ; 2°. Causas peculiares quibus grassantur ; 3°. Signa pathologica quibus exprimuntur ; 4°. denique Curationem ex istis deductam.

II.

Definitio sporadicorum et popularium Morborum.

Scolastica definitio sufficiet ut omnibus pateat quosnam morbos sub illo respectu auctores designent : sic elucidatis verbis ad rectam solutionem pergere erit promptissimum.

Sporadici (à σπειρω, *dispergo*), dicuntur morbi dispersi, varii, et passim grassantes. Privati opponuntur popularibus morbis, et omni tempore, omnique loco nati, singulos separatim invadunt.

Populares morbi appellantur, qui generalibus causis conflati, multos corripiunt : nonnulli illos Pandemicos nominârunt à verbis græcis πας et δημος, *totus populus.*

1. In Epidemicos dividuntur morbos, qui variis temporibus exoriri solent aeris aut etiam alimentorum vitio.

2. In Endemicos (1), qui frequentes sunt in unâ regione ob causam locis peculiarem. Ab epidemicis differunt, quia isti semper iidem in uno loco omnem vim quasi congerunt; alii verò repentè nati variant et expanduntur.

3. In Contagiosos, qui activitate quâdam præditi suî similem excitant morbum, vel proximo contactu, vel actione interpositâ. Hic non est tanti disserere quid intersit contagionem inter et infectionem : nulla de illis dicam. Ad epidemicos et sporadicos morbos potissimùm omni ope atque operâ intendam.

---

(1) Illorum verborum maximè incertum argumentum præbet græca origo. Etenim *epidemicus*, επι δημον, super populum, et *endemicus*, εν δημον, in populum significat : quod non multùm differt. Attamen præpositiones επι, *super*, et εν, *in*, præsertim in aerem, et in loca causas quærendas indicare posset

III.

Causæ quibus sporadici et populares grassantur Morbi.

Naturam morborum præsertim causæ faciunt et proprium curationis modum indicare valent. Sed nos sæpissimè fugit mali origo et in naturæ abditis sese penitùs abscondit. Aliundè cùm observationi patet, variis morborum causis effectus proprios adscribere difficillimum est. Quæ quidem ad causas quibus populares morbi gignuntur, rectissimè applicantur.

Haud pro incerto habendum easdem adesse causas in excitandis popularibus et sporadicis affectionibus, et variis modis quibus invadunt, agunt et perstant, solùm differre. Itaque peculiares illas conditiones indagare et effectus diversos persequi operæ pretium erit quò faciliùs deducatur illarum affectionum comparatio.

1. Ex his quæ multis communia sunt popularium morborum causas oriri constat, quoniàm totius urbis, regni incolas simul amplecti possunt. Aeris et tempestatum varietas undiquè nos circumdat, et quòcumque refugiamus, nos sequuntur et obsident; alimentorum et locorum vitiosa actio in universum nos afficit. Sed non solùm in homines sed etiam in animalia aliquotiès extenduntur causæ; indè Epizootiæ quæ causarum universos effectus demonstrant.

Sporadici morbi ex generalibus etiam causis pendent; vis autem illarum, privatis finibus circumscripta, veluti in arctum propriè agitur.

2°. Perstantes longo tempore premunt popularium morborum causæ; sporadicorum vero fugiunt et mutantur. Tempestatum enim varia successio sparsas solum affectiones parit; autumnalis intemperies sequenti anni tempore suscipitur et mitigatur. Quasi per circulum abeunt et redeunt variæ tempestates et effectum effectu comprimunt. At cùm cœli gravitas valet, cùm calor et humiditas, frigus et siccitas longiùs protrahuntur aut invicem ingravescunt, tùm populares apparent morbi. Quæ Cous Senex in Aphorismatibus eximiè annotavit.

Causæ enim, quæ continuâ vi premunt, multùm a subitâ impressione differunt : illæ penitùs agitant corporis partes vitalemque modum afficiunt. Dr. Edwards coràm scientiarum parisiensem Academiam explanavit animalia, ad longum caloris vel frigoris gradum exposita, propriis phænomenis distingui. Hæc eadem in locorum conditionibus patent.

Accidit quoque ut causæ valeant etiam quùm producta fuerit affectio et novis semper effectibus popularem morbum augeant. Illa morbosa conditio non sporadicis inest aut facilè avertitur et illorum causæ protinùs evanescunt.

3°. Ad præterita populares morbi referendi sunt ut vera instituatur ætiologia. In sporadicis verò præsentes causæ majoris momenti sunt, et mali quàm plurimùm, in ipso quasi temporis momento producti originem offerunt. Epidemieæ autem affectiones ab anteriore temporis statu profluunt ; quam Hippocrates compertam habuit veritatem cùm scripsit : « Non possunt præsentes morbi cognosci nisi ex præteritâ temporum constitutione, nec futura divinari nisi ex præsentium consideratione. »

IV.

4°. Graves et validæ sunt popularium morborum causæ, corporibusque varios motus et quasi novam naturam admovent. Non tam altè in vitalem constitutionem penetrant sporadicorum causæ et illarum effectus quodam vitæ repulsu minuuntur. Multò magis valent causæ in producendis epidemicis affectionibus. Sæpè enim morbosa impressio in corpore permanet, et licet procùl insalubri loco etiam exhibetur. Narrat Caius Britannicus multos Anglos febre sudatoriâ correptos fuisse, dùm in Angliâ quam anteà liquerant morbus ille sæviebat. Heister in altorfianc epidemio, Degner quoque Noviagami similia observaverunt.

Non solùm vi majore graves fiunt epidemorum causæ sed etiam infectione quâdam invalescunt. Non de contagiosâ activitate agendum, sed de putridis miasmatibus aut paludum effluviis, quæ ex animalium et vegetabilium dissolutione oriri solent ; innumeris probantur exemplis illi effectus qui totam regionem depopulari possunt.

Diversis sexûs, ætatis, temperamenti modis inflectuntur sporadicarum

affectionum causæ, et nullæ aut variæ fiunt. Popularium autem morborum validæ causæ sæpè unicam formam imprimunt et ferè omnes sexus, ætates, temperamenta amplectuntur. Quibusdam tamen exemplis exceptis manifestum est veluti mirâ proprietate quosdam malo epidemico præmuniri posse. Degner in calamitoso Noviagami epidemio gallos et judæos rarò correptos fuisse animadvertit; Barcinonis quoque recens morbus 1821 mulieres frequentiùs afficiebat.

5°. Mutiplices sunt et compositæ popularium morborum causæ, omnesque in producenda mala magis minùsve concurrunt. Sic difficillimum est fontem mali detegere quia non ex unicâ causâ devenit popularis morbus, sed multis, repetitis, oppositis, implicatisque causis coalescit. Compertum est quantùm effectus differant ob compositam illam actionem quæ nova novis, gravia gravioribus, contraria contrariis semper auget et mutat.

Sporadicæ vero affectiones ad certam originem reduci possunt et ut plurimùm, dummodò rectè et accuratè observentur, præcipuis et paucis causis adscribuntur.

Hæc est summa inter sporadicorum et popularium morborum causas comparatio. Minimè tamen in animo fuit certis finibus et quasi æneo muro illas apertè secernere; quippè eas sporadicorum et popularium morborum causas multis conjungi partibus et solùm actionis quibusdam modis distingui, admittendum mihi apparuit.

V.

Nunc si ad omnes perpensas causas reflectamus, lucidior nobis fiet *Epidemicarum Constitutionum* doctrina. Multis erroribus quasi obscurata, tamen à medicis observationi addictis culta manet et vera medicinæ practicæ fundamenta statuit. Constitutio medica incertè definita, tunc quasi cœli tempestas varia, tunc ut corporis pathologica conditio nuncupatur. Sic causa et effectus miscentur et altera pro altero accipitur.

Semper ex aeris varietatibus et vitiis constitutiones pendere, et certos effectus anni tempestatibus gigni prisci auctores admisêrunt. Hippocrates

morbos vernales, æstivales, autumnales, hyemalesque distinxit et illorum naturam multiplicesque formas observavit. Ipse dicat Hippocrates:

« Quod autem ad anni tempestates attinet, si hyems sicca et aquilonia fuerit, ver autem assiduè pluviosum et austrinum, febres acutas et ophthalmias et dysenterias æstate fieri necesse est, maximè mulieribus et viris natura humidis. (*Aphor.* 2, *sect.* III.)

» Si verò æstas sicca et aquilonia, autumnus verò pluvius et austrinus fuerit, capitis dolores hyeme oriuntur et tusses et raucitates et gravedines, nonnullis etiam tabes. » (*Aphor.* 13, *sect.* III.)

Secundùm ista et multa alia cuique anni tempori morbosa conditio adscripta fuit. In vere inflammationes, in æstate biliosas affectiones, melancholicas in autumno, catarrhales in hyeme innasci et augeri plerique medici statuerunt. Indè quùm annis tempestas quædam longo tempore valet nec ab aliis deletur, constitutio fit seu inflammatoria, seu biliosa, etc. Sed non aeris varietatibus tantùm conflatur constitutio medica: sæpissimè accidit ut nullus inter morborum et temporis mutationes existet consensus et cum magnis tempestatibus sanitas tamen floreat. Celeberrimi medici Sydenham, Van-Swieten, Ramazzini meteorologiæ signa incerta esse observaverunt, et per ea omnes causas morborum explicari negârunt. Itàque nonnulli aliquid ignotum, το θειον ut ait Hippocrates, in aere fusum admiserunt vanamque hypothesim quasi naturæ arcanorum explicationem fecerunt.

VI.

Medicas constitutiones ad omnes causas quas suprà perpendidimus reverti potissimùm nobis videtur; etenim non solùm gravitas cœli has tantas mutationes efficit, sed alimentorum vitiosa natura corporibus quasi continuum venenum infundit; sed locorum insalubritas undique sanitatem inficit; sed etiam pathemata animum perturbant et vires frangunt: in universis enim causis popularium morborum quærenda est origo. Quippè si observationes epidemiarum perlustramus, hæc confirmata nobis apparebunt. In epidemico morbo Mutinensi a Ramazzini descripto videbitur temporum subversas qualita-

tes, regionem aquis coopertam, vitiatam alimentationem et multa alia concurrere. In Neapolitano epidemo Sarconnius, in mucoso morbo Gottingæ Rœderer et Wagler, omnesque observatores sagacissimi causas multiplices et implicitas notaverunt.

Medicæ constitutiones multùm sæpè protrahuntur et morbos diuturno similique modo signant: ut causa continua et gravis est, ità effectus durare solent. Multi auctores morborum stabiles constitutiones nobis tradiderunt. Hippocrates, in Epidemorum libro tertio, eamdem constitutionem tres annos permansisse descripsit. Sydenhamius variabilem constitutionum mutationem subsecutus est: primam, per quatuor annos 1661—1664; secundam, per duos annos 1664—1666; tertiam, per duos annos, et sequentis dimidium, etc. Deniquè, ultimam quam observavit non certis circumscribere finibus potuit. Sagacissimi Stoll Ephemeridibus apparet quoque biliosam epidemiam ab anno 1776 usquè ad 1778 pervaluisse; inflammatoriâ autem constitutione sequentem annum signatum fuisse. Per totum annum trahuntur morbi populares ab illustrissimis Sarconnio, Tissot, Zimmermann descripti.

His observationibus instructus, Raimond massiliensis novam theoriam admittendam existimavit; et quia morborum varium caracterem, epidemo impressum, cognoscere sæpè arduum est, duos solùm constitutionis medicæ modos admittere voluit, fortem et mollem (*mode fort, et mode mou*). Observatione suâ animadvertit alium alio excipi, et per decem et octo annos massiliæ permansisse. Cujus medici systema non firmaverunt quæ ab aliis posteà fuerunt observata. Attamen nonnulli recentiores morbos reipsâ sub inflammatorio aspectu nunc sæpius apparere et mutatam constitutionem credunt. Forsàn theoricæ discussiones in mentes leviter irrepserunt clàm iis, et quasi invitis. Illa maximè ardua quæstio historiæ medicæ multa arcana elucidaret, sed longè ab omni demonstratione remanet.

VII.

Ex illis sequitur constitutiones medicas non in morbum perennem et quasi larvatum consistere; sed morbosa videtur dispositio, quamdam *pathologicam diathesim* ut dicam, à multiplicibus et contextis causis contractam. Quùm illustrissimus Sydenham *febrem stationariam* admisit, hypothese supervacuâ observationem veram obscuravit. Etenim hæc est mera, ut fastidiosè iterat in lectionibus et scriptis Paracelsus novus, Ontologia quæ sine signis et symptomatibus morbum procreat. Non illâ tamen falsâ opinione innitendum, ut tota constitutionum doctrina rejiciatur : non corruit veritas multis licet oppressa erroribus. In Historiâ medicinæ solertissimus Sprengel, vana et pertenuia contra illam argumenta objicit. Vituperanda rejicias, observatione autem confirmata serves, et novis etiam augeas. Cur enim causæ multiplices, continuæ et graves corpora in profundum agitare et severos diuturnosque effectus producere non possent ? Analogia et observatio unà et rectè respondent.

Constitutio medica non semper eadem est : tùm levis, suum modum sporadicis affectionibus solùm imprimit; tùm vehementior popularibus morbis ortum dat, diciturque *Epidemica*. Præsertim constitutionum impressione variantur morborum sporadicorum et popularium signa, illorumque curatio.

VIII.

Pathologica signa quibus distinguuntur sporadici et populares Morbi.

Ut rectè instituatur morborum curatio, diligenter examinanda snnt signa quæ illorum naturam ostendunt. Iidem morbi sub duplici aspectu vel sporadico vel populari exhibentur. Sic omnes febres quæ sparsim grassantur epidemicæ fieri possunt. Finke, Zimmermann, Stoll febrem biliosam epidemicam; Sarconnius, Rœderer et Wagler febris mucosæ epidemos descripserunt. Rariùs inflammatoria febris in popularem morbum vertitur; attamen à doctoribus Hoyer, Heister et Navieres collecta extant exempla. Variæ inflammationes, et neuroses quoque in universum extendi possunt et verè epidemicos morbos conflare. Constat enim melancholias quasdam, et convulsiones innasci urbesque contagio quasi morali inficere; ut patet ab exemplis Milesiensium, Lugdunensiumque puellarum et diversâ convulsionum propagatione.

Morbi chronici populares ad endemios pertinent quia epidemico more numquam expanduntur; sic strumæ, herpes, etc. Alii sunt qui numquam sporadici, semper epidemicè erumpunt; scilicet febris sudatoria et typhus icterodes. Attamen non planè admissa fuit illa opinio: nonnulli febrem sudatoriam paulùm ab inflammatoriâ differre et icterodem cum intensâ febre biliosa aut potiùs cum gastro-enteritide confundere voluerunt; sed hi designati morbi epidemicum modum induunt et minimè nec febri sudatoriæ, nec icterodi accedunt. At nunc, frustrà symptomata mutantur; frustra medicamina variantur; me herclè, aìt novi systematis auctor, unicus est morbus, unicum est remedium.

IX.

Quùm iidem morbi sporadico et populari respectu comparantur, quædam pathologica emicant signa quæ penitùs cognita habere multùm ad curationem confert.

1. Nova symptomata gravissima in morbi epidemici ortu sæpè apparent et diagnosim obscurant. Angina, peripneumonia, dysenteria in populari statu non genuinum cursum lustrant, sed eruptionibus, miliaribus, petechiis, vomitibus insignes fiunt, ut sagacissimi viri Zimmermann, Pringle, Tissot et alii in epidemis observârunt. Pathologica facies in mucoso morbo Neapolitano (Sarconne) multis gravibus et præcipiis symptomatibus differt a febre mucosâ Gottingensi (Rœderer et Wagler), multùm quoque a febre mucosâ sporadicâ. Singuli epidemici morbi comparati varium in modum præbent signa propria et ad curationem maximè utilia. Etenim haud verum est illa symptomata ad varietates ætatis, sexûs, temperamenti referenda : in universis illi communes morbi caracteres ostenduntur et ex epidemicâ naturâ pendent. Quæ in aliis observata fuerunt aliorum diagnosi utilia sunt et morbum veluti novis phænomenis obtectum expandunt.

2. Gravior fit generatìm epidemica quam sporadica affectio. Dysenteria quæ sparsìm homines invadit benigniter et ferè ab omni periculo offertur. Aliquoties epidemicæ dysenteriæ, sicuti pestis, nosocomia urbesque devastant et nullo remedio suspendi possunt. Anginæ epidemicæ brevi tempore per gangrenam evadunt et mortem afferunt : Fotherghill, Huxham, Lepecq-de-la-Cloture, hujus epidemi innumerabiles observationes attulêre.

Ille gravior status in popularibus morbis præsertim funerum numero patet. Affectio simplex quæ sporadica nunquam mortem efficit, nunc epidemica tantam hominibus affert stragem ut nulla sit inter illas statuenda comparatio.

X.

Sæpè accidit ut populares morbi sporadicos et intercurrentes retineant et quasi à progressu arceant. Quod quidem observatoribus etiam qui non medicinam excolebant compertum est. Thucydides, in pestis athenarum mirâ descriptione, signavit ferè nullos per eam morbosam tempestatem aliis morbis sporadicis afflictos fuisse. Schnurrer narrat in Oriente epidemiæ finem è sporadicorum morborum ortu nuntiari. Indè apparet vitalem organisationem penitùs epidemico morbo absumptam non aliam morbi suscipere posse excitationem, ut ait Hippocrates : Duobus *laboribus* (1) simul obortis non in eodem loco, vehementior obscurat alterum. Rarior autem et incerta est sporadicorum morborum actio ad propulsandum epidemum qui multò magis viget.

Sæpissimè miscentur sporadici intercurrentes morbi cum popularibus variumque in modum symptomata et caracteres epidemi concipiunt. In febre mucosâ Gottingæ, Rœderer et Wagler observatum habuerunt morbi popularis actionem et formam vehementer in sporadicis exprimi. Sic puerperæ affectionibus propriis quasi aphthis, mammillarum doloribus, alvi profluviis, sæpè in pedibus et manibus œdemate afficiebantur. Sagacissimus Stoll animadvertit febris biliosæ signa in phthise apparuisse ; Genovensisque Tissot similes multasque affert observationes.

---

(1) Δύο πόνων ἅμα γινομένων... *Aph.* 46, s. II. Vox græca πόνος, non *dolor*, ut dicunt commentatores, sed *labor* significat. Itaque non solùm doloribus applicatur hoc axioma, sed etiam omnibus vitæ functionibus, digestioni, partui, cogitationi, morbo, etc.

XI.

Curatio in sporadicis et popularibus Morbis comparata.

Sic etiologiæ et pathologiæ positis signis, therapeuticas indicationes sedulò perpendamus.

In universùm eadem convenit therapeia morbo sive sporadico sive populari. Epidemorum historias pervolvendo invenietur febrem biliosam epidemicam Lausanæ feliciter emeto-catharticis tractari sicuti in sporadico statu; inflammatorias affectiones in utroque casu iisdem remediis sanari. Quæ ut aliis exemplis nitar supervacuum planè videtur. Aliundè certis observationibus et non paucis patet morbis popularibus ac sporadicis aliam curationem aliquoties esse adhibendam. Tunc nocent enim prius solita in sporadico morbo remedia; et alia autem propria epidemicam affectionem levant et discutiunt. Maximè arduum est morbi obtectam naturam perspicere et à juvantibus et lædentibus necessariè fit indicatio. Ex illis observationibus Sydenham opinionem tradidit empiricam: sustinuit veram epidemiæ nascentis curationem omninò sibi esse ignotam et solùm ab experientiâ repeti posse. Non ideò tam desperata videtur morborum popularium naturæ investigatio; et licet in quibusdam inordinatis epidemis obtegatur et abdita sit, tamen causarum historia et pathologica signa universè collata ad detegendum epidemicum caracterem prodesse possunt. Eadem in hac solutione mihi apparet difficultas ac in noscendis ægri cujusdam temperamento et idiosyncrasiâ quibus morbi forma et medicamentorum effectus mirum in modum commutantur.

Confitendum tamen in morbo epidemico nascente sæpiùs latere quænam propria conveniant remedia; solitisque primùm admotis, ad juvantia et lædentia confugiendum. Quùm apparet angina epidemica venæsectione et hyrudinibus applicatis plerumque debellatur. Sin autem per gangrænam evaserit, quod observatione tantùm patet, aut minimè aut

rariùs sanguis mittitur. Hoc ità esse multa ab auctoribus collecta probant. In gangrænosâ anginâ populari à Fothergill 1650, 1715, 1746 observatâ; a Richter 1755, et a Bergins 1757, venæ-sectio multa mala et mortem celeriter afferebat. In aliis inflammatoriis morbis similia observata sunt. J. Wierr et Sennert peripneumoniam epidemicam tradiderunt quam sanguis emissio graviorem lethalemque efficiebat. Similes observationes scripit Ballonius; Worster quoque in epidemo pneumoniarum Philippoburgi nec sanguine largè emisso, nec emeticis levari affectionem, sed meliùs sudorificorum et præcipuè camphoræ usum admittendum esse animadvertit. Lancisi autem in epidemicâ pleuritide balsamica et vesicantia solùm utilia esse perspexit, dum priore anno, venæsectio in simili morbo prosperè successerat.

Dysenteriæ curatio in sporadico et populari statu similia et propria scilicet præbet exempla. Sic in epidemicâ dysenteriâ D.r Latour optimum esse opium declarat : ab illustrissimo Ramazzini observatus epidemus feliciter opii maximam copiam administrari et multùm nocere sanguinis missionem pariter edocet.

XII.

Ex istis constat observationibus medicamenta varia adhiberi, licet in eodem morbo epidemico, nec cognosci posse quonam modo efficiantur tantæ affectionum varietates. D.r Ozanam, in epidemorum historiâ, oppositam illam morborum curationem non rectè comprehendit et comparatis epidemorum exemplis utiliora remedia esse quæ sæpius et feliciûs adhibita fuerint, judicat. At illius solutionis vitium omnibus patet; in præsenti enim tractandâ epidemiâ mille observationes variam et peculiarem curationis naturam præscribere non possunt et quamvis emetica in ferè universis casibus optima esse notum fuerit, in isto tamen periculosa sunt et venæ-sectione utiliùs supplentur.

Quapropter singulos populares morbos accuratè observare oportet; et quæ propria sunt continuâ et sedulâ observatione investigare. In omnibus casibus curationem generalem et quasi *à priori* deductam præscribere ridiculum et maximè noxium est. Quid dicam de edictis à ma-

gistratibus et medicis quoque promulgatis ad curationem mali præscribendam? Recentissima facta adsunt. Celeberrima facultas de populari morbo consulta opinionem splendidissimam edixit, at quùm salutifera pervenit consultatio, non jàm morbo eadem natura nec forma eadem et jàm nova admovenda erant remedia. In recenti Gaditanâ epidemiâ, hispanus archiater quasi medicam legem hujus civitatis incolis imponere et procùl a morbo, in singulos dies certa præscribere non dubitavit. Talis est enim Sinensis medicus qui in libro quodam signata remedia semper adhibere gravibus pœnis cogitur. Sed popularis morbus ut sporadicus variare potest et in ortu alia, alia in statu et in remissione adhibenda sunt medicamina. Præbet enim in variis gradibus tanquàm unius morbi ætates: nascitur, crescit, minuitur et evanescit; illudque per tempus natura morbi perstare aut mutari potest.

XIII.

Nunc de sporadicorum intercurrentium morborum curatione popularibus comparatâ præcipuè agendum. Summa hæc est quæstio et in medicina practicâ maximam habet utilitatem. Durante biliosâ epidemiâ, sæpè pleuritides, anginæ, rhumatismi aliique morbi excitari possunt et cum morbo populari ita misceri ut iisdem remediis pugnandi sint. Sydenham, Ballonius, Stoll, Frank has morborum complexiones annotavêre, et similis curationis ob successum epidemi quasi symptomata illas apparere rati fuerunt.

Attamen non in his implicatis morbis eadem curatio generatim institui potest, quia in singulis varia est complexio et therapeuticis applicationibus sæpe opposita. Sæviente biliosâ Gottingæ epidemicâ febre, Rœderer et Wagler cum illâ tertianam implicatam esse observaverunt. Corticis peruvianæ usus sæpissimè periodicos insultus inhibuit; sed in aliis observationibus kinæ ope ingravescebat uterque morbus, et solùm febris epidemicæ curatio tertianam domare poterat; emeticis et aliis remediis ille complexionis gradus tractandus erat, quia eminebat mucosa affectio. Multis aliis observationibus hæc confirmare mihi promptissimum esset. Non solum acutas affectiones, peripneumoniam, dy-

senteriam epidemo ferè omnes involvi dicerem, sed etiam chronicos morbos et chirurgiæ operationes illius actione propriâ ingravescere. Illa quidam paucis exemplis illustrare suscipiam.

Finke in Teccliensi morbo narrat paralysim, hæmorrhoides, hæmoptysim, epidemicam naturam induere, et in his remedia affectioni biliosæ propria admittenda. Rœderer et Wagler annotavère cum hydrope, scorbuto et etiam cum malo venereo implicatam esse epidemiam illarumque curationem difficillimam efficere. Quùm autem mucosa affectio vulneribus afflictos invadebat, tùm febris acutâ et gravis irrumpebat, suppuratio vulnerum celeriter vitiabatur; illorum curatio maximè dubia et implicata erat.

At verò in multis aliis observationibus nulla epidemo adhibenda est cura. Sæpè enim sporadicus morbus cum propriis signis et naturâ simplici apparet, solitoque artis auxilio sanatur. Multùm infelix est medicus qui epidemicum caracterem quòcumque insequendi causâ, in illum semper remedia aut inutilia aut damnosa immitit, omnesque morbos sub illo generali respectu semper judicat. Etenim singulæ observationes perpendendæ sunt ut complexiones morbi varias et therapeuticas indicationes amplecti queat. Hìc præsertim valet medica Analysis quæ non subtilis est doctrina, ut aiunt, sed quæ universa et varia medecinæ practicæ præcepta comprehendit et illa quodam philosophiæ vinculo conjungit.

XIV.

In popularibus morbis propulsandis utiliter agit Prophylactica, in sporadicis autem victûs ratio. Rectis legibus et melioribus institutis certè minuitur morborum epidemicorum frequentia et jàm sub illo respectu ab antiquis multò nostra differunt tempora. Etenim rarius apparent lethiferi illi morbi qui quondàm tam multos passìm invadebant et è medio tollebant. Quùm adhùc gentibus incubaret barbaries, quot annis ferè istius modi pestis irrumpebat cujus perdiù horrenda manebant vestigia. Cujus victoriæ honorem sibi medicina vindicare potest, quæ tàm sævis hostibus urbes, provincias, regnaque integra depopulantibus non unum at innumeros cives eripuerit.

Non tàm prosperè egit medicina cum sporacis morbis. Penes eam quidem est cuique nostrûm planè detegere omnia quæ sanitatis damnum afferre valent ; at non sui juris varios omninò casus periculosasve animi cupidines avertere : ex quibus veluti de fonte in humanum genus tàm multa tàmque acerba mala decurrunt. Itàque sporadicarum affectionum increscere numerus, extensis patheinatum impressionibus, videtur ut jàm priùs in alio scripto exposui (1). Inter illas omnes causas quæ multis augentur aut multis aliis emendantur, crescit tamen in dies hominum numerus.

XV.

Conclusio.

Ergo eadem est sporadicis ac popularibus curatio, variis tamen sub modis quos signare tentavi.

---

(1) *De l'Eréthysme nerveux, ou Analyse des Affections nerveuses*, in-8°.

FINIS.